EPISTOLA R. P. N.

GOSVVINI NICKEL

Præpoſiti Generalis Societ. IESV ad Patres, & Fratres eiuſdem Societatis.

De Nationali, Prouincialique pernitioſo Spiritu in Societate vitando.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

EXCVBANTI mihi, ſolicitèque vigilanti pro hac meæ cuſtodiæ commendata DEI Domo, quæ à Sapientia ædificata, Chriſti IESV Architecti ſui nomen altè refulgens in veſtibulo procul oſtentat; cùm aliæ ſubinde periculorum facies metum incutiunt (nam & eluuiones fluuiorum, & effuſiones imbrium, & furum ſuffoſſiones nocturnas, Euangelicis admonitionibus iubemur ſpirituali ædificio metuere) tum me peculiariter cogit turris

huius noſtræ Cælo iam admota celſitudo, ab aduerſis ventorum cauere flatibus: ne quod Chriſtus denuntiat (& ipſe vtinam auertat !) verum vnquam illud cum noſtra vltima pernitie, ſummaque inuidorum gratulatione cernatur, *Flauerunt*
Mat.7.27. *venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna*. In quo ne ſupinè fiduciæ indormiamus, quaſi fundatæ in petra domui, tale nihil pertimeſcendum ſit, excitat exemplum Domus Iobi; quæ licet, vt S. Gregorius ſubtiliter obſeruat, Septem donorum Diuini Spiritus, quæ totidem eius Sancti Patriarchæ filijs deſignari vult; & trium præſtantiſſimarum virtutum, Fidei, Spei, & Charitatis, quas in tribus eiuſdem filiabus intelligit, inuicto, vt videbatur, aduerſus omnem diabolicam vim, præſidio teneretur; ingruente tamen à Regione deſerti vento vehementi, proſtrata eſt.

Moral. li. 5. c. 16. & 17. lib. 2. c. 21.

Iſtum ego ventum RR. PP. non alium in præſentia dixerim, quam hunc, de quo agere conſtitui, peregrinum Spiritum, frigidum, maleficum, planè horribilem, & peſtilentem ventum, quippe qui non faſtigiorum ſolùm pinnulas, tegulaſque tectorum, damno vtique reparabili, decutere cōtentus, totum ipſum molis quamlibet ſolidæ corpus, à quatuor, vt de Iobi domo

Iob. c. 1. 19.

domo ſcribitur, complexus angulis, robuſtèque ſuccutiens, vniuerſas ſimul ædificij compages laxat, & viſendam ingentis operis fabricam in ruderum informium aceruos momentò commutat.

Cuius tam pernicioſi Spiritus, extremam, quam minatur ruinam, vt quantum in me eſſet, à Societate procul arcerem, egeram de eodem in poſtrema PP. Procuratorum Congregatione, ſed prout eiuſdem Congregationis præſcripta temporis ratio exigebat, in breui ſatis, ſuccinctaque exhortatiuncula. quam nihilominus, cum plerique è congregatis Patribus à me poſtularent, vt deſcriptam ſecum in Prouincias deferrent, vt id quod petebant (quia prodeſſe in illa breuitate haud multum poſſe iudicabam) excuſarem, promiſi me illa ipſa, quæ ad illos dixerã, paulo copioſius tractaturum, ac deinde per modum epiſtolæ Prouincijs omnibus, pro more, communicaturum.

In hac ergo, quam promiſſam nunc mitto, epiſtola, ſi res ipſa ſpectetur, noui vel nihil vel parum admodùm adferã, ſed ſolùm quæ antea per compendium quaſi dixeram, ad plurium captum melius accommodata, fuſius aliquantò quam antea explicabo, vt ita fidem meam liberem, factæque promiſſioni ſatisfaciam.

In qua tota re, vt certa methodo diſſeram, primùm explicandum videtur, quis is tandem ſit malus, & malignus Spiritus, & vtrum iam ab illo paſſa ſit aliquid Societas; deinde, quanta ab eodem metuenda eſſet pernicies, ſi in Societate inualeſceret. Quæ bene diligenterque pro merito, reique grauitate ponderata, ſeruire quoque pro remedijs poterunt, & præſidijs; quibus vt nos aduerſus eiuſdem Spiritus hoſtiles animos, impetuſque omni cura, ſolicitudineque armemus, atque muniamus, non ſolùm vtile, ſed & neceſſarium fore, dubitandi nulla poteſt eſſe ratio.

Principiò ergo dum hũc Spiritũ Prouincialem voco, verbum fortaſſe mihi deeſt cogitationi explicandæ meæ ſatis accommodatum. Cæterùm ne de vocabulo controuerſia ſit, vocetur ſanè, quo quis nomine maluerit, poſtquam quid rei, ac notionis illi ego verbo ſubijciam, paucis expoſuero. Iudicia mentium, & inclinationes, affectuſque voluntatum, ſpirituum paſſim variorum appellatione deſignare, Sacri Prophetarum, & Apoſtolorum libri, ſcripta quoque Patrum, & myſticæ Theologiæ Doctorum aſſolent.

Si quorum ergo eſt hominum inductio

animi

animi ſtudiumque eiuſmodi, vt omiſſo communis vtilitatis,ac rei ſummæ reſpectu, priuatim ſibi, ac ſuis conſulant, ſe vnos intueantur. ſibi ſeruiāt,ſuas domos, cognationes, Vrbes, Prouincias potiſſimum atque adeo vnicè curent, earum, ſuaſque commoditates quomodocumq; etiam cum damno,exitióq; publico,conficere penſi nihil habeant,Prouinciali eos iſto Spiritu inſtinctos dixerim. Ratio nomenclationis huius,magis illuceſcet in hypotheſi.

Societas IESV corpus eſt pluribus coalitum ex membris, Ordo eſt Religioſus; multos variarum nationum homines,cōplura in diuerſis Oppidis, Vrbibus, Regionibus,Regnis,ſita,certaſq; deſcripta, in Prouincias Domicilia complectens. Talis corporis membra, vel talis religioſi Ordinis profeſſores, aut multi ex omnibus; aut pauci de multis, aut denique vnus aliquis ex vniuerſis, ſi fortè oblitus finis vniuerſalis gloriæ DEI,ac ſalutis animarum,mediorumque ad iſtos fines in noſtris Conſtitutionibus ordinatorum, ſuas ſibi proprias rationes, ſuos priuatos ſcopos, peculiaribus à ſe medijs proſequendos deſtinauerit: ſi æquum duxerit, Prouinciæ,Patriæ,Genti, Nationi,cognationi ſuæ cætera omnia accomodari: ſi,

 quò

quò iſtarum rerum prçcellentiam,primatum,prærogatiuam tueatur,obtineat,vindicet;nihil non moueat,nihil nõ miſceat: ſi clam,palàm, opportunè, importunè id agat,in id incumbat,totus in eo ſit;eum de ſancto vitæ ſuſceptæ propoſito, velut de recto abreptum curſu, incurrente in aduerſum Prouinciali Spiritu; non dubitem dicere,cui ſi pergat tota vela pandere in Syrtes haud dubiè ſcopuloſque impingens ruat:

Illud iam dubitandum venit: ecquid in Societate noſtra id genus homines repetiantur? magnas negandi cauſas video; quomodo enim homines mundo mortui, cum Chriſto crucifixi; qui ſe holocauſtum DEO fecerunt, tot Conſtitutionibus,tot inſtitutionibus formati,tot probationibus explorati; tot exemplis illuſtribus admoniti,tot ſeceſſibus annuis,tot meditationibus, lectionibus, exhortationibus quotidianis, tot Sacris Sacramentis,votis, tot diuinis vocibus, & illuſtrationibus adiuti, eò tam turpiter delaberentur, vt Aegyptum in Terra Sancta cogitarent, miſſa ad aratrum manu, retrò vultum auerterent, diuinæ gloriæ, ſuæ ſalutis, ædificationis proximi obliti,terrenæ patriæ, priuatæ familiæ, naturalis neceſſitudinis vitiosè affectibus indulgerét,

turpi-

turpiter commodis ſeruirent, & quò ad hunc ſcopum pertingerent, perturbare Obedientiam, ſoluere diſciplinam, Opus DEI deſtruere non cunctanter aggrederentur?

Et ſunt hæc quidem media ad profligandum, exterminandumque malignum hunc Spiritum efficaciſſima, vt proinde ſperare in Domino, haud immeritò poſſe videamur, huiuſmodi homines in Societate, ſi non omninò nullos, ſaltem pauciſſimos adhuc inueniendos. Nihilominus dum allatas ad me querelas diligentius examino, quæque de hac ipſa materia perſcribuntur, non vnis litteris; quæ vt aucta, exaggerataque quis cauſetur, vix tamen me teneo, quin exemplo Diui Pauli, qui cum ſcripſiſſet ad Corinthios fideles Audio inter vos ſciſſuras eſſe, ſtatim ſubdit, & ex parte credo; Ego quoque ſubeſſe aliquid, idque non leuis momenti tot querelis, ſcriptionibuſque ſuſpicer.

Verum quomodocunque hæc ſeſe habeant, illud certè inficiari nemo poterit, quin fidelitas, qua Matri noſtræ chariſſimæ Societati obſtricti omnes tenemur, id à nobis exigat, vt, ſiue contacti ſumus tanta lue, quod refugit animus credere: ſiue quod negari vix poteſt, ab eo pericli-

tamur; vel de contractæ noxæ remedijs, vel de præſidijs aduerſus periculum imminens cogitemus: Ad quod vtrumque mihi imprimis efficax fore videtur, conſideratio damnorum ingentium, quæ hic Prouincialis Spiritus in nos, niſi caueмus, importaturus eſt.

Inter quę mala tanquam primæ, & pręcipuæ conſiderationis, illud primo loco occurrit, quod prædominante hoc Spiritu, ſalua eſſe Societas noſtra nullo modo poſſit, vtpote cuius verè caput iugulumque petat. Cùm enim illa ex tam variarũ, tamquam inter ſe diſſidentium nationũ; naturarumque inſpirata à Spiritu Sancto conſpiratione ab initio coaluerit, peti nullo telo capitalius, nulla irreparabilius labefactari machina poteſt, quam ſi quà vi, quauè arte peruincatur, vt pro genitrice illa concordia, differentium membrorum, qua iſtud corpus ortu primo coaluit deſtructrix iſta ſeceſſio, ſingularibus quęque ſpebus, ac ſcopis, ab vno communis boni propoſito in quod vnanimiter conueneramus, ad reſpectus priuatarum vtilitatum, variè reuocet ac diſtrahat. Etenim quæ ex multis conſtant, ea neq; ſtare poſſunt, nec operari, niſi ea multa vnum ſint, vel naturâ, vt elementa, quæ per qualitates ſymbolas ſingula ſeſe inuicem cõple-

plectuntur; vel conſenſione voluntatis; vt exercitus, Familiæ, Societates, Vrbes; vel extrinſeca partium colligatione, vt arte facta, domus, veſtimenta, horologia &c. qualium rerum omnium, non ſolùm vigor, flos & perfectio, ſed omninò vita, ſalus, ſtatus in perſeuerantia coniunctionis, conſenſioniſque ſita eſt. Secedant in partes elementa, & in naturas quæque ſuas, ac loca reſoluantur; mixtum non iam læditur; ſed planè interit; fundituſq; corrumpitur. Vnde Imperia diu ampla, lateque florentia Aſsyrium, Græcum, Perſicum, Romanum, niſi ſoluto Prouinciarum nexu, laxatis ac ruptis conſenſionis repagulis euanuerunt? Societas, ſi minima comparare maximis licet, Societas inquam, ex mixtione ſancta hominum diuerſorum, vi vnitiua Sancti Spiritus in pulcherrimum hoc corpus coagmentata eſt, per eandem adoleuit, per eandem ad terrarum vſque vltimas latiſſimè ſparſa eſt: væ nobis ſi vitale hoc vinculum aliquando relaxetur; & ad ſuum hi principium Collegiorum; Prouinciarum; item ad ſuum illi, alij quoque ad ſuum contrahant ſeſe, atque à cæteris abſcindant. Quæ abſciſsio acerbior vtique periculoſiorque cenſenda eſſet, magiſque deploranda, ſi inter vnius etiam eiuſdemque

vel

vel Domus, vel Collegij membra gliſcere, incrementaque ſumere intelligeretur. Quid enim tunc reſtet, niſi, quod horret animus cogitare, & quod in omnē æternitatem auertat à ſua Societate Bonus IESVS; quid inquam reſtet niſi, vt totum corpus diſsipetur, & pereat, niſi vt Regnū in ſe diuiſū, iuxta Chriſti Saluatoris verbum deſoletur, & domus ſupra dom⁻ cadat, niſi denique vt pro mirabili illa pace, cuius verus Rex pacis Chriſtus IESVS rediuiuum in nobis, illuſtreque ſpecimen conſtituens, effecit, *Vt habitaret Lupus cum agno, Pardus cum hœdo accubaret, Vitulus, & Leo, & ouis morarentur ſimul, & puer paruulus minaret eos*; Pro illo, inquam, tam admirando, promeritæ nobis à Chriſto Domino pacis ſpectaculo, quid reſtet, niſi vt nos ingratiſsimi, vineam eius electam, Societatem noſtram, in multitudine ab illo, abundantiaque pacis, à prima eius origine plantatam, & per tot annos ad nos vſque in eadem feliciter conſeruatam, infelici tandem ſorte, permutationeque in quoddam quaſi diſcordium, atque in ſe mutuò incurrentium belluarum amphiteatrum conuerſam, Orbis oculis, inuidorum gaudijs hoſtium plauſibus offeramus?

Luc. 11. 17.

Iſa. 11. 6.

Et vnum & Chriſti corpus omnes pari-

ter

ter ſumus; quod ſociali membro detrahitur, Chriſto detrahitur. Ille frater, ille Pater, non minus quàm ego membrum Chriſti eſt, os meum & caro mea eſt. Quid mie eius; ſi quis fulget nitor; ſi qua eminet amplitudo percellat; quæ ad meum quoque decus emicant? cur illi detractum velim, quod in illo iam poſſideo? Collegium iſtud, iſtam Prouinciam, non aliud quam error & mentis quædam cæcitas, aliena mihi facit, reuera res meæ ſunt; pars hæreditatis Chriſti, regia patrimonij; arces imperij magni Patris mei. Floreat per me iſta Domus, iſta Prouincia; vbicunque & apud quoſcunque, & creſcat in mille millia, ſoror enim noſtra eſt (quæ non tam, vt intelligitis, illorum Rebeccæ fratrum, quàm veræ, ac diuinæ charitatis vox eſt) Imò vna mecum eſt ſponſa Chriſti, de qua ipſe dicit: *Vna eſt columba mea, formoſa mea.* Quam importunum ſcelus eſſet, non iam veſtem ſponſæ Chriſti, ſed corpus ipſum dilacerare, ac diſcerpere? Notatur alicubi in Libris ſacris de conſenſu filiorum Iſrael, fuiſſe illos vniuerſos, *quaſi virum vnum.* Toties centena hominum millia quaſi vir vnus erant. Magna laus, ſed non ſumma, ideoque Synagogæ propria. Eccleſiæ peculiaris dos eſt, verè vnam, non quaſi vnam eſſe

Cant. **2.** *Reg.* **1** **14.**

Audite Paulũ in perſonà Corinthiorũm fideles omnes alloquentem: *Deſpondi vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Vos, inquit, omnes Virgo vna eſtis vna Eccleſia Catholica Vos omnes eſtis. Qui ab vnitate ſe ſegregat, ad Chriſti cõiugium non pertinet; qui vnitatem rumpit, repudiat Chriſtũ. Videat igitur ſponſa iſta vt vna ſit, ne ſponſa eſſe deſinat: vt autem hoc conſequatur, audiat Vatem Regium monentem: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam; obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Obliuiſcamur & nos cuius Prouinciæ, cuius Patriæ, cuius domus ſimus, eius vtique Societatis filij, *cuius vocationis eſt diuerſa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius DEI obſequium, & animarum auxilium ſperatur.* Obliuiſcamur inquam, domus noſtræ terrenæ, patris noſtri mortalis, & non minus turpe iudicemus, iſtorum, quæ dudum arbitrati ſumus vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceremus, curam & affectum reſumere, quàm in matura ætate nutricis, & crepũdiorum deſiderium teſtari.

2.Corint. 11.2.

Pſ.44.

Sumar. Reg.3.

Phil.3. 8.

Quid iam querar Societatis bonum nomen, iſto Spiritu obſcurari, quando caput ipſum & vitam eo in præceps impelli iam deplorauimus? Eſt tamen huic querelæ

non incongruus locus ad noſtram acuendam prouidentiam, quæ nō tantum, quid reipſa mali ſit; ſed quid vulgò eſſe videatur debet proſpicere. *Sapientibus enim & inſipientibus debitores ſumus*: idemq; pariter DEO, Angelis & hominibus facti ſpectaculum. Quid DEVS, & Angeli de nobis iudicent, minus fortaſſe laborādum eſt, ſi benè nobis ſumus conſcij, intima illi penetrant, vulgus hominum ex ſpecie, & facie iudicat. Habuerimus certè inter nos iuſtas interdum contendendi cauſas, vt inter Sanctos, atque adeò inter Angelos contentiones ſcimus exarſiſſe innocentes: ſcandalum tamen oritur, infamia ſpargitur, digladiari Ieſuitas interſe, ignari, inuidi, hæretici celebrant. Caueamus, ne iure dicat nobis Societas, quod Patriarcha filijs, diſcordiæ aduerſus Sichimitas hoſpites, auctoribus: *Fœtere feciſtis me habitatoribus terræ*, neq; committamus, vt iure quiſpiam in nos impingat illud Pauli: *Cum ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis? & ſecundùm hominem ambulatis?* Nemo eſt noſtrum, credo equidem, qui non diligat etiam ſupra quoduis ſuum priuatum cōmodum, imò ſupra vitam, decorem Domus DEI, Societatis videlicet huius, cuius in atrijs præoptauit potius quam in pater-

Rom. c. 14

1. Corint. 4. 9.

Geneſ. 34 30. Iuxta Hebraicā veritatem ex verſione Pagnini.

1. Corint. 3. 3.

paterna domo viuere, de qua mundo cōtra ad delectabiles ſuas ſuauitates, deliciaſque inuitante, generoſè aliquando ac
Pſal.131. 14. conſtanter dixit: *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Porro, huius Domus, hoc eſt, Societatis decorem omnem, famamque ac gloriam (de qua pari cum Apoſtolo ge-
1.Corint. 9.15. neroſitate dicere debemus: *Melius eſt mihi mori, quam vt gloriam meam quis euacuet*) vna potiſſimum veræ inter nos conſenſionis opinione contineri, manifeſtius eſt, quam vt probari debeat. Quò ſpectat, quod præclarè D. Auguſtinus in illa Pſalmi 23. verba: *Dilexi decorem domus tuæ*, annotauit: Cum lapides viui, corda fidelium charitatis vinculo continentur, decor eſt Domus Dei, & locus tabernaculi charitatis eius.

Neque tamen per hoc ego vos volo RR.PP. famæ ſolius rationem ducere, vbi corporis ipſa huius noſtri, Societatis, cuius membra ſumus, vita, & ſtatus, in non dubium diſcrimen proijcitur. ſtare ſiquidem Societas non poteſt, quod nunquam ſatis dicimus, niſi euulſo radicitùs nationali Spiritu, arcta nobis inuicem conſenſione cohæremus, & cohæremus nos quidem, quæ DEI gratia eſt atque aduerſus ſuſpiciones, vel maleuolorum, vel impru-

den-

dentium, idonea ſinceræ vnionis, quæ in Societate hodièque vigeat, cùm exempla, tum teſtimonia proferre poſſumus. Verùm quia non gratulandi, quod minus neceſſe eſt, ſed admonendi hoc tempus ſumpſi, è duobus, quos intimè ſentio, animi motibus, voluptatis ex fructu noſtræ concordiæ, metus verò, ex periculo, ne ea relaxetur aut turbetur, extremum hunc tantùm vobis, cuius vtilior expreſſio eſt, hoc loco indicandum ſtatuo. Timeo, inquam, vtçunque rerum ſummam bene adhuc conſtare video, ne cui noſtrum negligentia obrepat *capiendi Vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, & allidendi Babilonis paruulos ad petram*, hoc eſt, prima quæque dum adhuc tenera ſunt, æmulationem, diſſenſionùmque ex nationalitate pullulantia, ac ſuccreſcentia ſemina elidendi. Eſt charitas, eſt vnanimitas in nobis; video, & lætor, atque auctori bonorum omnium gratias ago. Sed quò magis id bonum amo, eò plus timeo, ne qui ſuboriantur interdum dictarum ſimultatum fomites; ne quæ minus cautæ cõuerſationis alliſu, ſcintillæ contentiuncularum emicent, quas non ſubitò larga cæleſtis aquæ, hoc eſt, charitatis & gratiæ infuſione obruamus. Imprudens nimium ille ſit, qui ſe initijs & primis motibus tã

Cant. 11. 15.

Pſal. 136.

tetræ

tetræ perturbationis rapi permittat, efferendum longiùs quàm vellet: quippe, quæ quos ſemel arripuerit in perniciem ipſam poſſit impingere. Non lethale, ac ne graue quidē ferè vulnus a morſu eſt, Pauli nihilominus Apoſtoli ad leuiter ſe inceſſentes Galatas verum monitum eſt: *Quod ſi inuicem mordetis, videte ne ab inuicem conſumamini*. Non ferè mala ſiſtunt vbi cæperunt, irritato ſæpe certamine, leuis ira furor fit. Si nihil aliud, concertatiunculis hiſce & vires, ad verorum hoſtium certamina ſeruandas, attereremus, & attentionem à ſemper intentis, à nunquam non cauendis, perennium inimicorum inſidijs auocaremus, ſicque illorum, vel inſultibus vel dolis non facilè vincendos exponeremus. Cuius conſilij imprudentiam, Diuus Nazianzenus, ſimilitudine à nauigantibus ducta, egregiè demonſtrat, dum ſic ſcribit: *Si dum foris tempeſtas ingruit nautæ ipſi inter ſe diſcordes præliantur, certum naufragium eſt*.

Ad Galatas 3.15.

Orat. 25. *ad* 50. *Ep.*

Verùm quia iam fui in hoc primo puncto explicando prolixior quàm decreueram, ero in altero tanto breuior, dum oſtendam ſæpe damnatum nationalem Spiritum, certiſſimam eſſe peſtem, mortemque charitatis, & quod ex eo clariſſimè

mè elucebit ipſius quoque Societatis, quæ in charitate ab Authore ſuo fundata, ſubuerſo fundamento, ſimul cum eodem vt ruat neceſſe erit. Equidem huic ſolitario, ſeducto, ſuas ſibi res ſeorſim habenti Spiritui, nihil magis è regione opponi cenſeo, quam veram & ſinceram hominum propter DEVM charitatem, quæ id officij ſuſcipit ac commendat, vt homines DEI cauſa, à quo creati, dilectique ſunt cuiuſque circumferunt imaginem, præcipuè ament; non ob rationes vllas naturales, cauſaſque humanas. Non ergo ſibi de charitate blandiantur, qui quomodocunque homines amant, nec vero ſi quis parentes, ſi quis cognatos, populares aut ciues inſtinctu naturali diligit, charitate chriſtiana pollere continuò iudicandus.

Diſertè Chriſtus Dominus: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & Publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* Totum igitur diſcrimen in amandi cauſa eſt. Amo aliquem, quia neceſſarius meus eſt, vel eiuſdem mecum patriæ, ne philoſophica quidem eſt charitas, quæ virtutem ſpectat: ſed naturalis, cuius & brutæ pecudes capaces ſunt: **Matth. 5. 46.**

nam & hæ progenitores, & benefactores amant: Chriſtiana multò minus, quæ hominem, vt dixi, merè propter DEVM diligit.

Age igitur, ſi qui inter nos eſſent, quod DEVS auertat, qui munia procurationis animarum, qui doctionis, & gubernationis, aliaque Societatis miniſteria non DEI vocatione, non Superiorum delectu, non religionis authoritate, ſed occaſione naſcendi, & quodam quaſi hæreditario antiquitatis iure ad ſe, ſuoſque pertinere iudicarent, tacitè erga alios illud vſurpantes, quod Iephte ab offenſis fra-

Iud.11.2. tribus audiuit: *Hæres in Domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de alia matre natus es*. An iudicari ab vllo prudenter poterit, veram talibus ineſſe charitatem? non exiſtimo. Quid ſi tamen, iidem viri ſint docti, prudentes, magnæque præ alijs exiſtimationis? audeo dicere magno au-

1.Cor.13. thore, Paulo vtique Apoſtolo, tamen nihil ſunt; quia charitatem Chriſti non habent, amando ſolùm naturaliter ſuos, & quia eam violant aſpernando eos, quos à ſe alienos arbitrantur. Verè S. Auguſtinus: *Quiſquis violat charitatem, quodlibet magnum habeat, ipſe nihil eſt*. Quæ Sanctiſſimi Patris verba prodeſſe quoque haud parùm poterunt ad erigendos puſillorum

quo-

quorundam deiectos animos. Certū enim eſt tales angi interdum, turbarique haud leuiter poſſe, ſi viderent aut videre ſibi viderentur, viros ætate graues, eruditioneque, atque eloquentia in paucis eximios, & quod in hoc fortaſſis genere, plus aliquāto ad turbandos infirmorum animos momenti haberet, ſi viderent in quam illos etiam, qui ad prima ſui Ordinis munia, dignitateſque præ multis alijs ſunt promoti, vſque adeo tamen iniqua perſonarum acceptione abripi, partialiouſq; ſuis affectibus non abſque inſigni charitatis læſione, ita nonnunquam indulgere, vt quoſdam quidem ſupra modum, meritumque laudibus efferrent, & ſuſtollerent; alios verò longè infra illud abijcerēt, deprimerentque, quoſdam quaſi in clientelam ſuam, patrociniumque ſuſceptos fouerent vnicè, promouereque ad meliora omnia vbicunque poſſent, ſatagerent; cum interim alios donis licet naturæ, virtutibuſque haud impares, velut extraneos, ignotoſque negligerent, omnique fauore deſtituerent, idque nulla alia magis, quam nationis, eiuſdemque patriæ ac neceſſitudinis commendatione. & reperire quidem aliquos hoc vitio obnoxios non eſt facile iudicandum, quod ſi tamen reus quis conuinceretur, quicunque ille ſit, quodcun-

que etiam magnum habeat, ex D. Augu-
ſtini tamen ſententia nihil eſt, vtpote qui
charitatem violet. Vt proinde, qui tales
ſunt, habeant quod caueant, meritòque
ſibi metuant, ne cum dies Domini adue-
nerit omnis illa eorum in opinione ho-
minum fundata magnitudo, atque à na-
tionali ſpiritu viciata excellentia fumi in-
ſtar euaneſcat & viri diuitiarum, etiam
ſpiritualium, & cæleſtium *Vbi dormierint*
Pſal.75.6. *ſomnum ſuum*, iuxta illud Dauidis, *nihil*
inueniant in manibus ſuis. Quam rem di-
cere ſolebat ſapienter P. Lainius ſanctæ
Hiſt.Soc. memoriæ: *In Eccleſia militante Ordines,*
p.2.l.8. n. *& gradus diſtingui ex donis quæ gratis*
214. *data vocantur: in triumphante ex his quæ*
gratum faciunt. Vnde cauſa Diuo Paulo
1.Corint. fuit, enumeratis donis DEI gratuitis, ad-
12.31. hortandi fideles, *vt æmularentur chariſ-*
mata meliora, nempe charitatem ſine
qua, vt ait, homo quidquid aliud habeat,
nihil eſt. Illa verò præterquam quod pro-
miſſionem futuræque felicitatis pignus
certum habeat, vitam inſuper præſentem
neceſſarijs virtutum præſidijs inſtruit. Id
1. Corint. quod idem D. Paulus docet enumeratio-
13.14. ne illa celebri fœtuum, aut proprietatum
charitatis: *Charitas patiens eſt, benigna*
eſt &c. quæ noſtis. Qua in cogitatione
Lib.Ep.4. rectè Gregorius Magnus in rem noſtram
fide-

ſideles adhortatur, de charitate loquens: *Hanc ergo matrem*, inquit, *cuſtodemque virtutum inconcuſſa ſtabilitate teneamus, nullæ in nobis eã ſubdolorum linguæ imminuant, nulla antiqui hoſtis inſidia corrumpant*. Non ſolùm matrem, ſed cuſtodem præterea virtutum charitatem vocat, vt nimirum doceat, nequaquam virtutes, vt filias matri ſuperſtites, poſſe viuere, ſed cum ea ſimul occidere, quippe, quæ cuſtos inſuper earum ſit; ipſæ verò tales, vt ſicut ſine matre oriri, ita ſine cuſtode conſeruari nequeant. Cuius rationem Sanctus Ambroſius alibi tradit, abſentiam nempe Chriſti ab anima charitate vacua; quæ abſentia facit, vt veluti capite remoto, influxus in membra ſpirituum ceſſet. Sic enim commentatur in illa verba: Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet: *Nam poſtquam in pectore noſtro non requies proximi eſſe cœpit, ſed fouea, caput ſuum Chriſtus auertit à nobis.* Cui conſentiens Diuus Hieronymus: *Non eſt inquit, vmbraculum Domini, niſi vbi pax eſt: vbi zelus, & diſcordia, ibi omnino non eſt Protector DEVS.*

Lib. 2. Ep. 4.

In Pſalm. 75.

Quo circa hic ego compellauerim Societatem, quibus verbis Auguſtinus alloquitur Eccleſiam. *O Ieruſalem.* (*O Societas*) *quæ ædificaris, ô ciuitas, cuius*

In Pſal. 121.

particicipatio eius inidipſum: fiat pax in virtute tua,fiat pax in dilectione tua; quia virtus tua dilectio eſt. Quies omnium tumultuum,finis omnium contentionum, inquietudinumq; noſtrarum,in dilectione mutua,in vera fraternæ charitatis vſurpatione conſtitutus eſt. Tunc nec murmurabitur de Superioribus, nec inuidebitur florentibus, nec reijcientur alienigenæ, nec humiles contemnentur.Si vera,ſancta, Euangelica in nobis vigeat charitas, quæ vnumquemque noſtrum in qualicumque fratre, DEI ſpectare imaginem,ac vereri docet; quæ vitia, & defectus, ſi qui ſunt, *alis ſuis aureis*, (vt ait Diuus Chryſoſtomus) *ne videantur tegit*. Cuius eiuſdem S. Patris & illa hypotypoſis communitatis ſanctæ ordinata charitate compoſitæ, ſi hic adſcribatur non erit extra propoſitum: *Vellem te ducere inquit, in ciuitatem talem, ſi quidem fieri poſſet cuius anima vna eſſet; videres quomodo quauis cithara, & tibia modulatius omnia ſonaret, nihilque obſtreperet abſonum. Hæc melodia & DEVM, & Angelos lætificat, omni ſcilicet terrenarum perturbationum ſtrepitu ſilente*. Vnde paulò poſt ſubdit: *Inter amicos dum charitas citharam pulſat, omnes affectiones ſilent & obdormiſcũt, quaſi beſtiæ delinitæ, mitigatæque blanditijs.*

Hom.*40. *in cap.*19. *Act.

Hanc

Hanc igitur talem, tantamque virtutẽ adamemus Patres mei, hãc amplectamur ipſi, hanc alijs inſinuemus, cum hac cæleſti, & ſancta charitate, omnes humanos affectus, & naturales neceſſitudines commutemus. Ignoremus, excluſo omni nationali Spiritu, & affectu, differentiam nationum, diſcrimina vrbium & locorum, patriarum, & Prouinciarum, lites, rixas, obnixa ſtudia, & linguam Cæli ciuibus barbaram, neſciamus. Benè emitur omnium carnalium abdicatione affinitatum theſaurus precioſiſſimus, & margarita ſplendidiſſima Diuinæ charitatis, cuius compos, & ſentiens quid teneat, Sancta Sponſa dicit: *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* **Cant. 8.**

Neque cauſemus diſtantias locorum, aut ex neceſſaria, miniſterijs animarum per omnes terras diſperſione noſtra, excuſationem imperfectioni prætexamus; conſtat vigetque ſecura longinquitatis atque abſentiæ inter Sanctos indiuidua ſemper vnitas charitatis, cuius inſolubile vinculum, ipſa perfectio, ipſe DEVS eſt: par eſt quippe, vt egregiè Ildelbertus ſcribit, *Latitudo charitatis & mundi; facile eſt enim, vt diuerſi littoris cultores chari-* **Epiſt. 1.**

tas vniat, quæ vnam Rempublicam fecit Cælum & terram.

In collecta Octaua S. Laurentij.

Reſtat nunc tertium, & vltimum à me propoſitum caput; quod libenter his Eccleſiæ verbis, leui mutatione ad præſentem vſum accommodatis inchoauerim: Excita Domine IESV in Societate tua Spiritum, cui B. Ignatius Loiola ſeruiuit, vt eodem nos repleti, ſtudeamus amare quod amauit, & opere exercere quod docuit. Et quis fuit ille excitandus Sancti Ignatij Spiritus? certè non fuit Prouincialis, ſed vniuerſalis, non particularis, ſed principalis, non in ſeipſum, aut ſuâ reflexus, ſed ad commune omnium bonum latiſſimè intentus. Quando ille nationem vnam vni prætulit? quando perſonas ex genere, aut patria, non ex virtute ac veris dotibus æſtimauit? qui eius de maligno hoc Spiritu, fraternaque charitate ſenſus, quæ mandata erant? extant ea in omnibus ferè Conſtitutionum commendata paginis, quæ vt relegatis, vt meditemini, etiam atque etiam hortor.

Neque alius omninò viguit Spiritus in primis illis eiuſdem S. Patris filijs, qui licet è varijs eſſent, iiſque malè concordibus collecti gentibus, & eo collecti tempore, quo internecino nationes eorum

fla-

flagrabant bello,num, quæ tamen ideo in illis apparebant ſtudia, odiaque nationalia? quando quiſquam eorum de alio excepit eo nomine, quod antiquior eſſet aut aliunde oriundus? Quò nunc abierunt illa aureæ libertatis felicia tempora, quibus Præpoſitus Generalis nullo diſcrimine nationum, aut cognationum, nullo patriæ, aut antiquitatis cuique ſuũ nemine reclamante, pro vſu, pro neceſſitate, locum munuſque aſſignabat? quãdo Sancto Ignatio iubente, cunctis probantibus, Rector primus Romano Collegio Gallus imponebatur, Hiſpanus Pariſienſi, Peruſino Belga, Patauino Gallus? Quãdo Concionatores, Profeſſores, Operarij, ex Prouincijs in Prouincias, in vrbes, in miſſiones longinquas vno nutu euocabãtur, mittebantur, mutabantur, nulla cuiuſquam mora vel querela? Ad quam vſque adeo neceſſariam, hoc potiſſimum tempore, veritatem magis magiſque confirmandam, ſtabiliendamque, etſi ſuperuacaneum videri id fortè poſſit, prætermittere tamen nec poſſum, nec debeo, quin addam, quod in Soliloquijs de vita ſua ſcriptum poſteritati reliquit (reipſa quod ſcripſit in Collegio olim Panormitano expertus) P. Petrus Ribadineyra, vnus & quidem ex chariſſimis S. Ignatij

diſci-

diſcipulis, dum DEVM his ipſis, quæ addo, verbis alloquitur: Erat enim verò res propria tuæ manus, & imago quædam primitiuæ Eccleſiæ, videre Flandros, Italos, Hiſpanos, & Gallos tempore tantorum bellorum inter Hiſpaniam, & Galliã, viuere nihilominus inter ſe cum tanto amore, ac ſi non haberemus niſi vnum cor. Eramus nimirum ſeptem Magiſtri, ſed ſinguli diuerſæ nationis. Primus erat P. Nicolaus Lanoij Flander Rector Collegij, & ſimul Profeſſor Theologiæ, Pater Paulus de Achille erat Lombardus, & prælegebat Philoſophiam. Ego Caſtellanus docebam Rhetoricam. Frater Ioannes Rogerius Gallus ex ciuitate Pariſieſi prælegebat humanitatem, Frater Michael Botelo Luſitanus docebat primã Grammaticæ; P. Iuuenalis Pedemontanus ſecundam Grammaticæ, & P. Petrus Venuſtus Griſo ex valle Telina, infimã; & cum eſſemus tot ex tam varijs nationibus, fuimus omnes verè vna anima in Chriſto. Ecce quàm id temporis felix erat, beatuſque Societatis, & primorum iſtorum S. Ignatij filiorum ſtatus! Vbi tunc auditæ coitiones certorum commorationem certis in locis, Domibus, officijs affectantium? Vbi ambitiosè eoſdem in fines cõquiſitæ commendationes Principum,

pro-

procuratæque non bonis artibus populorum, Magiſtratuumque interceſſiones? Erant hæc artificia, machinationeſque peſſimę, primis iſtis Patribus nouæ planè atque inauditæ, quia ſcilicet vigebat in illis animorum vnio; Spirituſque nationalis, cuius sũt illa infeliciſſima germina, ab illis, totaque Societate procul exulabat. Exulet ille nunc quoque à nobis RR.PP. vigeatque ſacra illa vnanimitas, quæ illos cæleſti nexu copulabat, nihil nobis quoque bella, nihil populorum diſſenſiones diſcordis cõtagionis afflabunt. Opportunè S. Gregorius ad illa Ezechielis de quatuor animalibus verba: Iunctæque erant pennæ eorum &c. *Vnanimitate*, inquit, *iunguntur, licet officio, natura, ſpiritu interſe differant: & propenſionis propriæ oblita, ſimul eleuabantur, ſimul ambulabant.* Nam ne Cælum ſit Religio, quod S. Bernardus debere eſſe ait, non vtique diuerſitas perſonarum; ſed animorum diſiunctio facit. Quandoquidem, vt veriſſimè de Beatis in Cælo degentibus Auguſtinus ſcripſit: *Habebunt & tunc Sancti DEI differentias ſuas, conſonantes non diſſonantes, ideſt, conſentientes non diſſentientes: ſicut fit ſuauiſſimus concentus ex diuerſis quidem, ſed non inter ſe aduerſis ſonis.* Verum finis nullus ſit, ſi co-

Lib. 19. moral. c. 18.

In Pſal. 150.

copioſiſſimi argumenti venam ſequi ad extremum velim . Concludam ergo epiſtolam, & quidem ijſdem penè verbis cōcludam , quibus Patres in vltima *Procuratorum* Congregatione alloquens , concludebam, quam tunc ad eos habebam exhortationem. In qua aiebam,noſſe me eorum animos, noſſe Religionem , non ignorare me etiam, quantopere nationalitatem omnes deteſtarentur , & ab eius funeſta operatione abhorrerent,& ſi quid fortè vſpiam ipſius malignitatis inualuiſſet, aut ſaltem irrepſiſſet , quàm illud ſublatum , eradicatumque funditus deſiderarent : qui eorum zelus , ſenſuſque licet pius omninò , ſanctuſque eſſet; addebam tamen ad emendationem , illum minimè ſufficere , niſi aliorum quoque omnium per Prouincias idem ſenſus , animuſque foret.

Quam ob cauſam orabam , & obteſtabar omnes, & ſingulos,vt, vbi in Prouincias ſuas feliciter redijſſent,in eundem quem ipſi haberent ſenſum hac in re , affectumque cæteros quoque in ijs omnes Socios inducere totis viribus conarētur.

Quod & nunc abſens apud vos RR. PP. per hanc meam Epiſtolā affectu; quo poſſum maximo facio , rogans , & obſecrans omnes , tam eos qui communicato

ſibi

ſibi à DEO lumine, perniciem huius Spiritus penitius iam ante introſpexerunt, & ab eo tanquam iurato Societatis noſtræ hoſte, inimicoque acerbiſſimo, toto ſemper animo, affectuque abhorruerunt; quã etiam eos, qui forte allatis non ſolùm à nobis rationibus, verum etiam, & quidem multò magis Sacræ Scripturæ teſtimonijs, Sanctorumque *P*atrum authoritatibus grauiſſimis perſuaſi, nũc primùm multiplicem eius malitiam agnoſcent, ſalutaremque ab eodem auerſionẽ, odiumque concipient. Rogo, inquam, omnes & primo quidem, vt in ſancto illo, quod DEO adiuuante, vt ſpero, concipiẽt odio non ſolùm conſtanter, immotique perſeuerent; verumetiam, vt creſcere in eodem ac proficere quotidie magis ac magis adlaborent.

Deinde ne ad expurgandam, liberandamque ab hoc peſtilenti Spiritu Societatem, ſufficere arbitremini veſtrũ illum, quem contra eundem Spiritum ſentitis magnæ diſplicentiæ, indignationiſque ſenſum, bonum illum quidem & laudabilem, ſed qui intus in animis veſtris ſine operatione, fructuque in alios, quaſi ſepultus iaceat; niſi foras is erumpat, cognoſcendumque ſe etiam alijs præbeat, & quod vos rectum, ſincerumq; de peruerſa

Pro-

Prouincialis Spiritus indole, naturaque formaſtis iudicium, idem illud ſuadendo, adhortando, monſtrando, conando modis omnibus, quantum in vobis erit, efficiatis, vt & alij vobiſcum agnoſcant, approbent & imitentur. Pari modo iudicandum non eſt ſufficere, quod vos ſanctum, ſalutareque odium aduerſus eiuſdem ſpiritus malignitatem, pridem laudabiliter concepiſtis, niſi idem & alij cõſilio, ſuaſuque veſtro, inducti, in animis quoque ſuis excitare, fouereque moliantur; niſi quos vos ſeductos iam, occupatoſque ab hac contagione dolenter mecum gemitis ac deploratis, eoſdem & illi deplorent, reducereque vobiſcum in meliorem frugem, mentemque ſaniorem, conentur,& ſatagant. Atque in his demũ pijs religioſi animi affectibus, ſenſibuſque firmi,conſtanteſq: perſiſtant, donec communem hunc, melioremque bonorum omnium, ac totius Societatis de nationalibus affectionibus, ſenſum, opinionemq; Sociorum tandem omnium animis mentibuſque impreſſum, inſculptumque vobiſcum videant,& lætentur.

Quod inficiari certè nemo poterit, quin ſancta omnium noſtrum vocatio, verorumque ac germanorum Societatis filiorum officium meritò ab omnibus requirat